

Tentamen medicum inaugurale, de regimine phthisicorum ... / [William Logan].

Contributors

Logan, William, 1747-1772.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Balfour, Auld, et Smellie, 1770.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/fxk3kx3u>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

TENTAMEN MEDICUM
INAUGURALE,
DE
REGIMINE PHTHISICORUM:

QUOD,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate spectatissimi admodum Viri,
GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit
GULIELMUS LOGAN,
PHILADELPHIENSIS.

Ad diem 12 Junii. hora locoque solitis.

*Principiis obſia; ſero Medicina paratur
Cum Mala per longas invaluere moras.* OVID.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR, AULD, et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXX.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

P H T H I S I C I S

S A C R U M

V O L U I T

A U C T O R.

2. 1911.11.1

1900.8

1900.7

1900.6

TENTAMENTUM MEDICUM

DE

REGIMINE PHTHISICORUM.

PROEMIUM.

REGIO in terris unaquaeque, ex peculiari incolarum consuetudine et vivendi more, ex situ plagaque, morbo cuidam endemicō sibi peculiari, ubique subjecta est.

CUM primum in Britanniam appulisse, de arte medica parum cognovi; sed in studio medicinae sub patris optimi patrocinio et consilio probe institutum, prudentia et utilitas salutaris me coegit, uti morbos magis communes, quibus incolae essent opportuni, ab initio contemplarer; quippe qui ex eo tempore, uti in Anglia aetatis residuum transigerem, mecum constituerim, inter alios complures, pulmonum morbos haud minus esse frequentes

A

quam

quam lethales, cito comperi. Adolescen-
tiam et pulchritudinem, eheu! victimas
esse peculiares sibi devotas ubique con-
spexi.

MISERICORDIA tactus, quam multa
suspiria mecum clanculum duxi, et assi-
due sollicitus optavi, uti tempus adveni-
ret quo studia nostra maturiora nos edo-
cerent, quibus tandem rationibus talibus
malis occurrerem et mederer. Ad gym-
narium hocce, doctrinae medicae thea-
trum celeberrimum, tandem feliciter ac-
cessi: Et quoniam, postquam praelectio-
nibus publicis sedulo quotannis interfui,
jam in Britanniam Australem reversurus
sum, utinam ex animo, Deo juvante,
dixisse potuerim facultates salutares, qui-
bus impetus hujus morbi rapacissimos
omnino compescerem, me consequutum
fuisse.

TENTAMEN autem hocce, proh dolor!
aperte commonstrabit artis operationes
et industriae documenta minutissimis ar-
canae naturae operationibus quam sint
inacquales.

I.

QUONIAM vero de Regimine, aegrotantibus phthisi confirmata a labe pulmonum enata laborantibus congruo, ex professo ac praecipue tractare mecum constitui; uti argumentum systematice procedat, morbi historiam breviusculam, prognosin, et causas, enarrare oportebit.

II.

DEFINITIO.

ITAQUE nuncupatur Phthisis Pulmonalis, extabescentia corporis, una cum febre lenta, dyspnoea, thoracis ipsius dolore obtuso, tussi, et saepe sputo purulento.

III.

HISTORIA MORBI.

HICCE morbus pulmonum, ulceribus per varias causas inductis plerumque debetur;

betur; inter annum decimum octavum et trigesimum sextum fere accidit; foeminis habitus delicatioris quam masculis saepius infestus; et in Britannia, forsan ex variis tempestatum cœlique mutationibus, magis quam in aliis regionibus, assidue graffatur.

DIFFICILE erit certe quibus tandem morbi periodis ulcus pulmonum incipiat aut aperte distingui potuerit; sed in nosocomiis omnibus quibus interfui hæc symptomata inter aegrotantes phthisicos quos vidi suspicionem ulceris enascentis praebuerunt.

ITAQUE, si post febrem catarrhalem, vel ex quavis causa, aeger tussi sicca, raucedine, dyspnoea, praecipue aucto motu, corripiatur, vel si tussis haecce uno latere potius quam in alio decumbenti violentior fuerit; vel si, post excretionem sanguinis floridi copiosam, pulsus velocior duriorque deveniat, atque statim respirandi difficultas augeatur; si horripilationes vagae frigidae, si genae rubescunt et reliqua facies

facies omnino pallefecit; si mane sudores colliquantes, praecipue circa caput pectusque supervenerunt; si tussis una cum expectoratione materiae flavidae cruento commista ingravescit; si denique his supradictis accedat magna virium prostratio ac debilitas; ex tuto affirmare possumus, pro rata ratione qua haecce symptomata ferociunt, ulceris plus minusve in pulmonibus sublatitare. Si vero haecce omnia ita sese habent, effectus hujusmodi fere subsequuntur: Sudores magis profusi continuo fluunt, corpus marcore extenuatur; aegrotus, si lateri sano superincumbat, pessime se habet; et periculum imminet, ne statim suffocatione internecentur. Genua rubescunt; crura tument; oculi vitrescunt et languent; vox raucescit; acumen narium; frigescunt aures; tempora deprimuntur; effluunt capilli; et tandem diarrhoea lethalis ingruit, et scenam claudit. Observandum vero, quod haecce symptomata ubique fere, sed haud omnia necessario, morbum

concomitari, et in diversis aetatis stadiis
ac praedispositionibus diversa fuisse.

IV.

PROGNOSIS.

DE morbo hocce velut immedicabili
nimis frequenter, cum apud medicos,
tum etiam apud aegrotantis amicos, con-
clamatum esse videtur. Confiteor equi-
dem, plerumque morbum lethalem esse:
At crudele omnino esset dixisse, auxilium
aegrotanti nullum adfuturum; namque
in annalibus physicis haud raro comper-
tum est, hunc morbum ab initio rite trac-
tatum medicabilem fuisse. Atque, siqui-
dem aegrotanti mederi nequeat, vita sal-
tem in multos annos conservari potuit;
namque, si respiratio facilis atque libera
fuit; si haemoptoe parca neque saepius
iterata; si calor corporeus undequaque
aequalis fit, et praeter naturae rationem
confuetam non urgeat; si tussis mitis fit,

et

et expectoratio libera et copiosa, et aegrotans habitu corporis valido natura gaudeat; si thorax sit ei capacior; si morbus hereditarius non fuit: Si haecce, inquam, ita sese habeant, et symptomata modice urgeant, ex tuto quidem aegro consolemur, tametsi pulmonis ulcus adfuerit; quippe cujus vita, adhibita cura, in multos annos regimine proprio conservari potuerit.

DEPLORANDUM vero, quod saepe nimis accidit, ut hae causae, licet interdum feliores, rarius equidem occurruunt. Namque causae noxiae morbum hujusmodi plerumque impetu violentiore introducunt. Ex indiciis ideo insequentibus nimis, eheu! verendum, ne concludere liceat, nil majus ab auxilio medico sperandum esse, nisi uti symptoma tum graviorum ferociam, quam lenissime, compescamus. Si morbus fuit gentilis; si a thorace male conformata oriatur; si habitus fuerit strumofus; si pulmonum haemorrhagia largius incesserit; si febris hectica

hectica indies ingravescit; si respiratio difficilior, tussis violentior, et expectoratio parcior perseverat; si anhelatio foetida evadit, et sudores violentiores efflunt; vix ac ne vix aliquid agendum medico restabit, nisi ut humanitate ac lenitate quamplurima potuit, ne moribundum horrore concutiat, de eventu eum prudenter commoneat, ac lethales aditus moliores et minus formidolosos efficiat. Denique vero, quando capilli defluunt, et delirium diarrhoea conjunctum invadit, concludamus liceat, tragoeediam brevi clausam fore.

V.

C A U S Æ.

CAUSA proxima hujus morbi videtur esse ulcus pulmonum per diathesin systematica humanae phlogisticam concitatum, per certas leges oeconomiae animalis in pulmones convergentem.

IN-

INDICATIONES CURATORIÆ,
sive PALLIATIVÆ.

PARTEM opusculi nostri gravissimam, nec minus utilissimam, nunc aggredior: Ecce vero, hic labor, hoc opus est! Quinetiam fortasse, siquidem theoriam scholarum antiquiorum jamdudum ratam consuetamque consequeremur, praxis nostra nimis prolixa, difficilis, et ambigua videretur. Sed, licet haecce res, ut pote majoris momenti, ad diligentiam nostram quam maxime pertineat, leniendi methodum rationi convenientem summa qua potuit brevitate ac perspicuitate proposuisse conabimur.

OBSERVATIONE certissime constat, quod siquidem causam amovere potuerimus, effectus ipse necessario desineret; at, si quando causam nulla ratione amoveri queamus, effectum, si causam leniter compescuerimus, minorem ac imbecilliores reddidisse possumus. In hac re aggredienda indicationes, uti revera apparent, obscuritatis dubiae

dubiae ac fallacis labyrintho tenebricoso sedulo evitato, strictissime persequemur; quippe qui de curatione hujus morbi quam plurima ex longinquo petita effutiisse potuerimus, siquidem conamina multiformia ab empyricis facta, a temporibus HIPPOCRATIS in hunc usque diem coram lectore protulerimus: Talis enim observationum series concatenata, animo in rebus medicis probe versato, laboriosum foret ac supervacuum. Mirum profecto videtur homines eruditione, nec minus observatione, satis instructos omne studium suum in ea placide contulisse, uti fabulis annilibus quotquot ingenium humanum excogitasse potuerit, auctoritatis aut veritatis umbra haud innixis, annales medicas undiquaque complerent. Quod ad nos attineat, dum morbi historiam undique contuemur, indicationes curatorias nullas nisi binas omnino proposuimus possumus.

I. UTI diatheseos phlogisticae augmentis obviam eatur.

II. UTI

II. UTI symptomata nonnulla leniantur.

I. Primo, stimuli animum immediate magis afficientes considerentur: Nempe,

ANIMI PATHEMATA. Nexus atque consensus animum inter et corpus adeo arctissimus adhaeret, uti pauci morbi sunt quos indicia talium nexuum magis minusve non comitentur; notabile vero est, in omnibus aegrotantibus phthisi laborantibus, morbum animum vix afficere, nisi ut imaginibus fallacissimis et adulantibus eum oblectet et suffulciat. Hocce phaenomenon ingenue confiteor me nulla ratione explicare posse. Experimentis vero compluribus jamdudum compertum est, sensationis cuiuslibet sedem in cerebro latere; et forsitan esse queat, uti volumen sanguinis copiosius in cerebrum accumulatione ejusdem in pulmone determinatum irritamenta fortiora inducat, et sistema mobile magis reddat. Sed, licet hactenus conjecturas fecisse queamus, nullis
exinde

exinde rationibus aperte collegisse possumus, quibus tandem ex causis affectus animi adeo peculiares a talibus irritamentis omnino excitentur. Namque arcana haecce veneranda per divinam Opificis Summi sapientiam perpetuo nos latent, et in aeternum fortasse latebunt. Quamvis autem hocce phaenomenon mirum quidem et attentione dignissimum esse videatur, vix ad rem pertinet, et uti morbus terminetur omnino parum prodest.

AFFECTIONES ANIMI in sedantes atque stimulantes ab auctoribus omnino dispertiuntur; at fortasse negationes inter se se alternatim solummodo investigando reperientur. Ægrotantes, ne in moestitiam ac desperationem incident, in omni morbo sedulo caveamus; fed, in phthisi laborantibus, nisi malum altius inhaereat et diutius commoretur, affectus hujusmodi progressum nihil aequa ac terror, iracundia, ac solicitude afficiet, quippe qui systemate corporeo stimulus validiores inferunt, et ex haec tenus traditis

quam

quamplurimum nocent. Aegri phthiflaborantes, etiam si solicitudine quae hypochondriasis comitatur ex magna parte vacant; nihilominus, a mobilitate systematis commutationibus violentissimis in terrorem caeterosque affectus perniciosos, a causis fortuitis quae in communis vitae curriculo assiduo versantur, in effectibus concitandis opportuni sunt. Causas igitur hujusmodi praecavere quam maxime oportebit.

AEGROTANS amicorum pauciorum consuetudine perpetuo fruatur, quorum prudentia causae omnes graviores quae aegri tranquillitatem perturbarent caute celaret. Optaverim profecto ut aegrotans ab omnibus irritamentis quae solicitudinem fortiorum de eventu concitarent sedulo caveret; ideoque ei in oblectamentis lusoriis, aut tragœdiis atrocioribus perlegendis, nimis indulgere noluerim. Olim cognovi virginem nobilem lepidissimam hocce morbo, proh dolor! ad astra translatam, quae lusibus hujusmodi fallacibus assidue ob-

C. oblectabatur;

lectabatur; ast oblectamina quae amplectebatur ex fortuna adversa sive prospera occurrentia minime compensarunt. Ubi aegrotantibus opes affluentes suppetunt; siquidem, curis vitae domesticae recedant et Baias publicas Bristolenses, Bathonienses, aliasve, frequentent, dum salutem regimine probe accommodato curent, et oblectamentis innocuis ibidem modice perfruantur; ex otio tranquillissimo quo vitam degunt, uti credo, multo citius convalescent, vel saltem extrema luminis stadia placi- dius transigent, quam ubi domi versantur, atque circumvolantibus curis oeconomicis assidue sollicitantur.

b. CONSTITUTIO AERIS. Res in dubium revocari nequeat, quin *ardoris* et *algoris* extrema maximos in systemate corporis effectus stimulatrices in sece contineant; cum nihilominus ex principiis diversissimis incessanter agunt.

ALGOR. Sub historia morbi quem tractamus, hactenus observavimus, phthisin pulmonalem in Britannia praecipue,
propter

propter varia coeli discrimina fluctuantia, frequentissime graffari; porro, monendum est, algoris actionem in corpus humanum cutis superficiem in volumen arctius contrahere; unde major sanguinis copia interne determinatur, qui saepissime tuberculis in pulmone, febres catarrhales inducendo, viam struit; vel si tubercula jam efformantur, diathesin inflammatoriam inducere minatur, quae in ulcus et haemoptoēn haud raro terminatur. Ecce vero aliud incommode quod ex frigore in statu febrili corpori applicato suboritur; nempe ex stimulo. Frigus enim, dum intensius applicatur, viribus quasi sedantibus agit. Natura tamen interea conatus suis, quibus ab ejusdem effectibus se se eripiat, in cor arteriasque reactionem inducit, quae quidem reactio pro ratione frigoris applicati velocior ac violentior evadit; *e.g.* lavationis frigidæ effectus, et laticum frigidorum haustus, reactione sua sudorem promovet. Caloris causa generatrix apud philosophicos, ni fal-

lor,

lor, omnino indagine defrustrata, diutius investigata fuit. Res equidem haud necessaria nondum constituta fuit, neque ad propositum nostrum adeo pertinet; sed, ex causa qualibet oriatur, observatione nostra certissime patescit, vires generatrices sui generis in corpore humano, nec minus in animalium omnium, continuo latere, quae per gradus frigoris majoris augentur, et per eosdem caloris gradus ubique minuuntur.

ÆSTUS. Hicce vero, sicuti jam observatum est, systemati stimulus immediate concitatur, cuius effectus ab actione sua in vires nervosas, quaecunque sint, exoritur; siquidem vis nervosa sit materia aliqua fluida, prout BOERHAAVIUS opinatur, necesse erit, uti, fluidis omnibus aliis elasticis similis, ejusdem raritas aut elasticitas pro ratione caloris augeatur; ab hacce autem raritate aut elasticitate, simul connexa, mobilitas systematis unice pendet; exinde, rebus sic stantibus, uti sistema evadat irritabilius, omnino conseruetur.

quetur. Unde plane patebit, extrema frigoris aut caloris hec tis esse pernicio-
sa. Quocirca, si quidem iis conveniat, ad plagas benigniores mansuetioresque dimittendos esse constat. Optaverim equidem, si fieri potuit, uti aegrotantes hujusmodi vel in Insulas Bermudas, vel in Azo-
res quilibet, ablegarentur; quoniam haec Insulae, quippe in Oceano Atlantico salu-
berrime consitae, propter serenitatem suam et temperiem, multum concelebrantur.
Regiones equidem Galliarum Australes,
et loca ibidem Mari Mediterraneo vicini-
ora, collaudare possem: At vero, ob mul-
tas rationes, insularum aliquam Oceano immenso circumcinctam, propter atmo-
sphaeram marinam saluberrimam, longe praetulerim; quippe qui, *terris jaētatis et alto*, in hisce regionibus effectus ejusmodi salutiferos jamdudum ipse cognoverim.

c. EXERCITIUM. Tantum locuti de plaga coeloque tempestiviore aegrotanti sub phthisi idoneis; restat, uti exerci-
tationis utilitatem quam brevissime per-
pendamus.

pendamus. Ab initio autem, sub indicatione nostra, jam observavimus, stimulum cujuslibet in systemate corporeo esse sedulo praecavendum.

DICI nequit, aegrotum, dum ulcus patet, rite convalescere, sed, ex adverso, in statu magnae irritabilitatis adhuc versari; ideoque lubenter crediderim, exercitationem corpoream, sicuti motum solidorum simplicium ubique concitat, et mobilitatem elasticitatemque majorem nec minus exfuscitare, et exinde in sistema sanguiferum plurimum agere, circuitus augere, et effectus perniciosos, augendis sanguinis fudoris caeterorumque excretionibus, valde promovere. Praeterea vero, dum aegrotans a morbo digraffante perquam imbecillis hactenus evadit, conatus aliquis, quo corporis imbecillitas amoveatur, et tonus systematis exercitationibus augeatur, ob reactionem sedantem, quam plurimum obesse queat, quae ab omnibus laffitudinis ac debilitatis indiciis insignitur. Confitendum tamen, in casibus haemoptoe

moptoe recentioribus, exercitationem, gestationis ope concitatam, sanguinis cursum in omnes corporis partes longe lateque promovendo, salutares effectus non raro produxisse. Quoniam vero hactenus supposuimus, aegrotantem prope littora maris vitam jam degere, vix deerit occasio, qua exercitatione navigationis auxilio probe utatur, quae effectus in phthisi saluberrimos omnino procreare consuevit. Expedire equidem noluerim, quibus tandem rationibus effectus hujusmodi concitare queat; licet revera probe cognovimus effectus ejusmodi salutiferos a talibus exercitiis exoriri. Casum enarrasse liceat, qui probissimos effectus, in haemoptoe compescenda gestationis navalicularis auxilio, confirmare videatur.

INEUNTE anno 1769, juvenis quidam, opificio sedentario fartner, multum occupatus, viginti annos natus, nos de salute sua periculosa consuluit. In septimanam totam usque, sanguinis expunctionem una cum tussicula graviore copiosam ejecerat.

Tem-

Temperamento sanguineo floridoque gaudiebat. Pulsus adhuc naturalis. Monuimus uti ab opificio cessaret, fretumque Bodotriam, in Fifam usque, per spatium marinum septem circiter milliarium, navigio transiret; quod quidem in tres dies continuos assidue fecit; in trajectibus singulis navigio exagitatus, nausea fastidiosa quam plurimum laboravit; porro, etiam faburrae multum, at sanguinis haud aliquid, evomuit. Tandem vero, die tertio, sub crepusculis, hilariter reversus, gratias nobis quam plurimas habuit, quippe qui probe convalesceret; et, in hunc usque diem, a tufse, haemoptoe, et ab omnibus aliis pejoris notae quaerelis, omnino vacat, et valetudine prospera liberrime perficitur.

d. DIÆTA. Nulla forsitan systematis humani pars, quam ventriculus, irritationi frequentissimae magis obnoxia est. Natura quidem praecavisse videtur contra ullam materiam noxiam, ne in eum introeat quae eidem iniqua foret. Finis ultimus

timus alimenti in corpus ingesta est, uti nutriat et refocillet; quomodo cunque autem hoc fieri queat, omnino probabile videtur, a variis nutrientibus, in stomachum ingestis, materiam per lacteas absorptam, uti fluidum homogeneous, ibidem evadere. Argumentum desumptum ex observatis in iis animalibus quae vegetabilibus, et in iis quae carnibus vescantur, discrimen in partibus solidorum ac fluidorum componentibus omnino nullum ostendit.

DIÆTA hominis generalis in tria capita dividitur.

I. in OLERACEA.

II. in LACTICINEA.

III. in ANIMALIA.

I. QUOD ad priora attineat, esculenta in genere alimenti minimum suppeditant; sed perspiratione faciliores evadunt; ideoque systema minus stimulant. Profecto, victus omnis humanus origine

D

vegetabilis

vegetabilis omnino fuisse videtur; namque, licet animalia carnivora vegetabilibus enutrita fuissent, ut leo, cerva, et cetera, nullum animal, inter mammalium classes, nisi genus humanum, facultate gaudet qua nutrimentum a plantis aut animalibus suppeditatum promiscue felicitat, aut eo unice vivat.

II. LAC animalium, jam assimilatum, hominibus qui viribus imbecillioribus coctricibus gaudent, accommodissimum esse videretur: Et pauciora quidem temperamenta reperiuntur, quae ei nequam convenient. Lac enim ex animalibus subductum ex materia animali ac vegetabili commixtum et compositum esse videtur, et maximam nutrimenti copiam salutiferam in sece continet; ac proinde, naturam ejusdem animalium atque vegetabilem promiscue hominibus apprime congruam esse, constat. Si vero qualitates ejusdem, quibus ad vegetabilia proprius accedat, intueamur, acescens esse omnino comperitur; neque febri-

febriculam istiusmodi quae digestionem
victus animalis assidue comitatur excitat,
qua antisepticum multo magis evadit; et
exinde conjecturas de usu ejusdem in fe-
bribus hecticis fecisse libet, quae febres
victus animalis ingestionem vulgo comi-
tantur. Exacerbationem hujusmodi esse,
etiam in sanitate, videtur, uti cuiquam
aperte liquebit qui pulsus immutationes
a pastu lautissimo sedulo observaverit. I-
deoque alimentum concoctu facillimum,
stimulo vacuum, optimum erit: Et nul-
lum quam lacteum in hoc propositum me-
lius accommodatum; quippe quod ex-
ercitationem viribus assimilantibus mi-
norem praebeat, et malis hecticis idone-
um prorsus esse cernatur. Quinetiam,
quoniam nonnihil ex natura animali con-
tineat, et copiam nutrimenti notabilem,
qualitatis inflammatoriae expertem, sup-
peditat, in phthisin accommodum ubique
tuto proponitur. Quoniam autem habi-
tus nonnulli peculiares occurrunt, quibus
lac cujusque generis haud conveniret,

prae-

praestantissimum quodque feligere oportebit. Lac asinum, caprinum, humatum, quippe quod nutrimenti multum in se contineat, longe praferendum; porro, quoniam animal succum praebens vegetabilibus enutritur, lac ejusdem facultate acescente praeditum est, et temperamentis inflammatoriis accommodissimum. In phthisicis, lac ex mammis calidum et effervescens, ventriculo vacuo, horam circiter antequam aeger lecto assurgat, mane desumendum. Quoniam vero aegrotantes regimine quam maxime refrigeranti nutritri conveniat, si singuli lactis haustus aequalibus aquae Bristolensis partibus immisceri queant, omnino prætulerim. Consueverunt equidem matres infantium altricium nutricibus quam plurimum victus opipari suppeditare, quo lac succulentum magis suggerant; in eo tamen longe falluntur. Namque lac quo magis diluas, eo magis haurientem alit et refocillat. Videmus enim agricolas qui boves pascunt hoc probe scire; ut qui vitulos

tulos lacte aqua commisto infarciunt quo in mercaturam aptius saginentur. Lac ebutyratum, propter acescentiam suam, in hoc morbo apprime commodum; videmus enim effectus saluberrimos ex ejus usu in diaetam assiduo; quippe quod exacerbations febriles ablegat et compescit.

COMPLURES occurrunt apud quos lac ipsum in stimulum nocivum cederet; hisce vero lactis coagulati serum omnino conveniret. Nonnunquam oportebit uti lac decoquatur, quo indoles ejusdem relaxans in temperamentis quibusdam noxia prorsus arceatur. Observandum vero, postremo, lactis effectus salubriores ex eo quod victus sit unicus, vel tantum cum vegetabili commistus, et ex attentione in cetera nonnaturalia sedulo habita, prorsus pendere.

III. ANIMALIA. Quae jam antea observavimus de stimulo a cibis alkalescentibus excitato, nec minus hic etiam convenienter. Ubi systema quam maxime irritabile,

tabile, et morbus inveterascens diutius processit, a victu animali prorsus abstineant, et victui vegetabili, quamdiu vires sustinere possint, se assuescant; namque ex malis binis minimum semper eligendum: Longe enim praestaret, si morbus omnino lethalis evaderet, symptomatum atrociam diaeta refrigeranti perspirabili mansuefacere, quam systema mutilatum diaeta animali, fortius alente, concoctu difficulti, virium assimilantium stimulum assiduum ubique concitaturo, refocillare conari.

Ast, ubi febris lenissima, et alia symptomata levissima accedunt, aegrotis victus qui concoctu faciliores sunt, et maximam glutinis animalis copiam infese continent, ex tuto concedere possumus; quales sunt carnes pullini, ostreae, viperinae, cuniculi domestici, et forbuta nonnulla ex muricibus concocta, et similia, copia modica in ventriculum ingesta. Hic vero forsitan objiciat aliquis, observationes nostras de diaeta exhibenda nimis esse

esse concinnas et leviusculas. Monendum vero, in hoc loco praecipue, In simplicitate salutem constare. Diaetam maxime alentem, et quae systema corporeum minime stimulat, omnino feligere oportebit; quem scopum alimentum lacticum pertingere opinamur.

QUINETIAM de Potu nonnihil dicendum restat; et in eo quidem simplicitas eadem nec minus observanda. Aqua pura, sive lac aquae commistum, longe praeferat, sed minime gelidum, prout aliqui monuerunt, exhaustum, vel aqua hordeo sive oryza concocta.

PURGANTIA. In dubium revocare nequit, quin foeces aridae intus retentae stimulum maximum in toto corpore concitent. Conandum igitur summa ope, uti stimulum huncce, quantum possumus, enematis emollientibus, sive catharticis lenioribus, ubique demulceamus, quibus aeger officio naturae necessario singulis diebus obsequatur. Hic vero cautelae nonnihil in extremo morbi stadio adhibendum,

bendum, ne diarrhoeam istam symptomaticam superinduceremus, quae, sicut haec tenus observavimus, lethum vulgo praecedit. Regula generalis a morbi indeole prorsus educenda. Quoniam aegrotans, si adhuc robustus ac vegetus, multo tutius quam si jamdiu extenuatus, evacuations hujusmodi sustinere potuit.

VII.

II. INDICATIONEM secundam nunc aggrediamur; nempe,

Uti symptomatum ferociorum saevitiam, quantum valemus, medicamentorum auxilio coerceamus. Hic vero ad medicamenta quaedam, symptomatis quibusdam idonea, medico peritissimo recurrentum; quorum multifaria, ex sexus, aetatis, habitus discrimine, necessario in usum revocantur: Et haud raro accidit, uti morbus hujusmodi cum aliis quibusdam simul complicetur.

PLATNERI praestantissimi sententiam omnino

omnino comprobamus, parum auxilii a medicamentis quibuslibet exspectandum, nisi sub indicationem hancce cadant. Cel. BOERHAAVIUS sanguinem munire contra infectionem purulentam, et ulcus evacuare, labia abstergere, et consolidare, cohortatur. Haecce quidem dictu facillima: At, quibus tandem rationibus efficiantur, haud equidem video; ideoque nostrum erit, theoriam speculatricem quamlibet nullatenus amplecti, nisi documentis eam quibusdam probe suffulcire possemus. Symptomata magis consueta, quae ope palliante magis indigeant, uti jam perpendamus oportebit. Haec vero jure censeantur.

I. Tussis, in extremis hujus morbi stadiis, comes omnino molestissima, ex copia materiae purulentaeforsitan exfuscitatur, quae, pulmones irritando, tussim continuam, aegrotum somno suo nocturno defraudantem, procreat. In arte medica exercenda, propter indicationes

fibi invicem contrarias, non raro sub angustiis quamplurimis versamur: Ita profecto, sub hocce morbi statu, indicantur opiate, quae tussiendi laborem compescant; quum tamen in morbo inflammatario minime conveniunt. Ob rationes hujusmodi, minima malorum eligenda; et tussis per usum eorum parciorum, et per cautelam providam, quam lenissime coercenda.

II. DYSPNOEA. Morbus interdum absque ullo hujus generis symptomate terminatur. Ast, ubi progressus magis impetuosos effecerit, et aeger in corpore suo magis irritabilis evaserit, sanguis circumfluus, ex causis stimulantibus quibuslibet hactenus enarratis, in pulmones impetu fortiore determinatur; unde spirandi angustia perquam difficilis, et oris rubor, excitatur.

HIC vero venaefectio, quoties aegri vires sustineant iterata, remedium unicum accommodissimum. Namque, nisi huic malo levaminis aliquid quam certissime afferatur,

afferatur, lethum funestissimum mox aderit: Sicut amico nostro charissimo ac peritissimo AIRY, qui in hac academia medicinae studium sedulo excoluit, nuper accidit; at, proh dolor! sub flore aetatis, hocce morbo correptus, sodalem suum moestissimum deseruit, et sui desiderium apud omnes sibi notissimos reliquit. Nonnunquam quidem erit, uti spirandi difficultas a pure in ramulos bronchiales congesto concitatur: Sub hocce rerum statu, per Expectorantia, non vero per classem expectorantium stimulatricium, quam auctores plerique collaudarunt, sed Emetici simplicis ope, prout res expostulant; nempe, per dosin tartari emetici, qui omnes medicamenti pectoralis effectus salutiferos, neque perniciosos quoilibet ex stimulis orientes, in se contineat. Hisce Vesicantia adjungamus licet; quorum effectus, in pectus adhibiti, in usum plurimum inserviunt. Quamvis enim arteriarum pulsus interea concitant, attamen, evacuatione et relaxatione tandem peracta,

peracta, lentiores arteriarum ictus haud raro relinquunt. Fonticulis et Setaceis, in hocce morbo, praesertim recentiore, curando, suus adhibetur honos. Morbum vero per metastasin, pulmonibus ab ulcere affectis, amovendum esse, vix sperandum. Fatemur equidem, post haemoptoēn graviorem, ubi diathesis febrilis in proclivi est ut invadat, fonticulos et setacea, quibus diathesis phlogistica in brachia determinetur, haud raro multum prodeesse posse.

DIARRHOEA. In historia morbi jam observavimus, diarrhoeam tragoediam lethalem plerumque claudere. Ea vero ad summam debilitatem statumque corporis putrefcentem, et ad insignem puris copiam, per metastasin in intestina convergentem, forsitan omnino jure referatur. Quae quidem, si eam inveterascere finamus, aegrotum statim e medio sublatura est. Conandum igitur summis viribus, ubi haecce periodus accessit, uti opiatis

et

et adstringentibus adhibitis eidem occur-
ratur.

ITA profecto inceptum nostrum, ut-
cunque peractum, PROFESSORIBUS meis
Honoratissimis lubenter offero ; quam sit
imperfectum, animo humillimo probe
conscius. Spero tamen idem, utpote o-
pusculum juvenile, documentis et experi-
entia parum suffultum, excusationis ali-
quid undequaque merere posse.

F I N I S.





